



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

Pœna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

Pœna.

1 **L**ex pœnalis non obligat ad pœnã lubeundam ante iudicis sententiam, nisi clarè appareat talè esse mentem legislatoris. Layman & Malder. Neque tenetur ad restitutionem qui est in causã, ne quis persoluat eã pœnam. Secus tamen sentiendum de pœnis in testamento appositis. Et sic femina cui relictum est legatum si castè viuat, non potest legatum recipere, si turpiter viuat. Vasq. & alij 4. p. 1. tr. 10. ref. 23.

2 Quando alicui operi annexa est pœna inhabilitatis ad officia, vel beneficia, incurritur ipso facto ante iudicis sententiam. Medin. & alij 4. Contrarium tamen est probabile. Sanchez & alij 5. p. 4. tr. 4. ref. 26. Sicut nec incurritur priuatio vocis actiuæ, vel passiuæ. Molina & alij 5. p. 1. tr. 10. ref. 24.

3 Quando in iure, vel Bullã fertur pœna priuationis vocis, debet intelligi de solã actiuã. (Garz. & Castro P.) quando verò statuitur pœna priuationis Officiorum, dignitatum, &c. intelliguntur gradus honorifici cum superioritate, non autem Magister Nouitiorum, Mi-

nistri, Consultores, Admonitores, Concionatores, Lectores Theologiae, &c. nec incurriturea pœna ante sententiam criminis declaratoriam. Sanchez & alij 2. p. 5. tract. 13. ref. 91. & p. 4. tr. 4. ref. 224.

4 Lex pœnalis non est ex identitate rationis extendenda ad alios casus, etiam si in his concurrat maior ratio, vel malitia ipsius actus. Salas & alij 3 p. 1. tr. 10. ref. 26.

5 Quando dubitatur, an lex aliqua statuens excomm. suspensionem, vel irregularitatem, sit vsu recepta, potest præsumi non recepta: quia lex pœnalis est odiosa. (Azor. & alij.) Et in dubio an censura sit lata, vel ferenda, præsumitur ferenda. Hurtad. & alij 2. p. 4. tr. 3. ref. 14. & 16.

6 In dubio siue iuris, siue facti, nemo censendus est excommunicatus, suspensus, vel interdictus. (Sanchez & Laym.) Ac propterea tunc non est alter vitandus; fieret enim illi iniuria, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Filiucius & Hurtad. *ibid.* ref. 35. & 71.

Pœnitentia Sacramentalis.

- 1 Liberum est Confessario pœnitentiam sacramentalem imponere ante, vel post absolutionem; quamvis enim consuetudo ferat ante imponi, hæc tamen nullam induxit obligationem. Ochagau *p. 5. tr. 13. res. 36.*
- 2 Ne Confessarij scrupulis angantur in pœnitentiis imponendis, post absolutionem addant illam clausulam; *quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum:* quia hæc sic applicata, rationem habet satisfactionis Sacramentalis. Homobon. & alij. fateor tamen contrariam sententiam esse probabiliorem. *p. 3. tr. 4. res. 97. & p. 6. tr. 7. res. 5.*
- 3 Posse Confessarium imponere pœnitenti in satisfactionem Sacramentalem, opus pœnale applicandum pro animabus Purgatorij, vel orationes pro illis recitandas, affirmat Turrian. negat Sancius. *p. 3. tr. 4. res. 54.*
- 4 Etsi Confessarius sponte omitteret imponere pœnitentiam ob peccata venialia, non peccaret mortaliter. Lugo. Cùm verò scrupulosus aliquis sapius intra eandem horam ad confes-